

Prot. N. 14.220/82 C.A.
MEXICANA
Dimissionis

(Rev. Antonius - S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus)

Instantia diei 12 martii 1982 Rev.dus P. Antonius, religiosus a votis perpetuis in Societate N.P., recurrit ad Sectionem Alteram huius Signaturae Apostolicae, adversus decretum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 16 ianuarii 1982, prot. n. 5510/81, quo confirmata est eiusdem religiosi remissio ad saeculum, a competenti Superiore, die 12 novembris 1980, statuta.

A recurrente eiusque patrono quinque legum violationes adductae sunt — quarum quattuor respicerent errorem iuris in procedendo, quinta vero errorem in decernendo —, hae nempe:

- 1) Subscriptionum omissio ex parte consiliariorum superioris provinciae religiosae, qui remissionem ad saeculum decrevit;*
- 2) Laesio famae et iurium humanorum recurrentis;*
- 3) Intempestiva editio decreti ex parte S. Congregationis, i.e. 15 menses post remissionem ad saeculum;*

- 4) *Contemptus iuris defensionis*;
 5) *Defectus causae motivae proportionatae in decisione dimissionis immediatae religiosi e suo instituto*;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

examini subiectis actis causae atque memorialibus patronorum necnon voto Promotoris Iustitiae, ad quod neuter patronorum respondit;

Attento — ad rationem procedendi quod attinet — Decreto S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 2 martii 1974 (AAS 66, 1974, pp. 215-216);

Considerato quod in casu agitur de remissione ad saeculum disposita ad normam can. 653, iuxta quem « in casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus statim potest... etiam... a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti... ita tamen ut res... Sactae Sedis iudicio sine mora subiiciatur »; seu agitur de casu pro quo non praescribitur ordinaria ratio procedendi et remissio ad saeculum non est vera et definitiva dimissio sed potius temporanea et provisoria dispositio ad praecavendum damnum religionis, dum definitiva decisio ad Sanctam Sedem pertinet;

Perpenso quod:

ad 1. *Cum in casu non ageretur de actu collegiali (de quo in can. 101), sed solummodo de consensu Consilii, nulla subscriptio ex parte consiliariorum necessaria erat, quia unicus auctor decisionis fuit superior, quamvis ipse ad validitatem consensu suorum consiliariorum indigeret (cfr. can. 105);*

ad 2. *Decisio impugnata, cum lata fuerit ad normam sive iuris communis sive iuris specialis, cui recurrens per professionem religiosam sponte se subiecit, nullum ius nec famam et iura humana ipsius recurrentis laesit;*

ad 3. *Intempestiva editio decreti ex parte S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus — post 15 menses — illegitima haberi nequit, cum nullibi praescribitur terminus intra quem Dicasterium decisionem ferre debet;*

Causa intempestivatis, a recurrente denunciata, fuit spes resipiscendae ex parte illius;

ad 4. *Quaevis exceptio circa assertum contemptum iuris defensionis adduci nequit attento can. 653, supra citato, et perspectis gravitate ac publicitate facti;*

ad 5. *Causa motiva impugnatae decisionis invenitur in « grave periculo di scandalo esterno a causa del furto di 1.422.830 pesos messicani perpetrato dal Sac. Antonio a danno della Società dei Padri di Famiglia del Collegio di V.Z., affidato ai Religiosi, e conseguente minaccia di denuncia da parte di questa Società alle autorità giudiziarie, con grave danno dell'onorabilità della Congregazione Religiosa ».*

In Congressu habito coram infrascripto Cardinali Praefecto diei 4 martii 1983

decrevit:

« *Recursum non esse admittendum ad disceptationem, utpote manifeste carentem fundamento* ».

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, diei 17 martii 1983.